



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 2. Principium 2. Non lædit Conscientiam Actio, quam probabilis tuetur
opinio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

Ratio.

Quia Conscientia est Regula proxima Voluntatis, derivata à prima & principali Regula omnium humanarum actionum, scilicet à Lege Divina & aeterna: ergo quicquid contra hanc Legem committitur, vel omittitur, bonum esse non potest.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Eum, qui putat, se ex Caritate obligari ad Proximum è periculo liberandum per mendacium, peccare, si non mentiatur, uti cum communi docet Bonac. d. 2. de pecc. q. 4. pu. 6. n. 8.

Deducitur 2. Eum, qui Venerando SS. Imagines, aut Reliquias putat, se Idololatriam committere, non esse immunem à tali culpa, si dictam Venerationem peragat, ut communis apud Bonac. l. c. n. 13. sentit.

Deducitur 3. Eum, qui putat, alterutram ex duabus contradictoriis actionibus committendo se peccare, omnino peccati reum fieri, quamcunque peragat, si conscientia vincibilis sit; vel si invincibilis sit Conscientia, & non eligat eam, quæ minus gravis est; ut idem Bonac. l. c. n. 27. cum communi Theologorum iterum sentit.

§. II.

PRINCIPIUM II.

Non lædit Conscientiam actio, quam probabilis tuetur opinio.

Sensus.

Hoc est, qui non potest certò cognoscere, an actio aliqua sit licita, vel non, potest eam sine peccati scrupulo elicere, si advertat, eam à doctis & prudentibus viris, quorum Auctoritas sufficit ad probabilitatem alicui sententiæ conciliandam, licitam judicari; modò non immineat aliquod periculum, ad quod vitandum Prudentia, vel Justitia, vel Caritas dicet oppositam sententiam eligi debere.

Authoritas.

Desumptum est ex mente Vasquez, Sanchez, Medina, Talia

Item. Ovid. Lugonis, Amici, Lezanix, & plurium alio-
rum apud & cum Francisco Bardi discept. 4. de conse. c.
11. r.

Ratio.

Quia, cum opinio probabilis sit dictamen rationi con-
sente (alioqui enim probabilis opinio non foret) hoc ipso,
illam sequitur, prudenter agere, & ex consequenti nec
esse censendus est; dummodo non sit nimis tenuis pro-
bilitas, aut in materia Sacramentorum, vel iudicii verfe-
tatis, tunc enim non licet juxta decretum Innocentii X,
apud Mart. editum sententiam quantumcunque probabi-
liorem relicta probabiliore sequi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. eum, qui probabiliter putat, se habe-
re jurisdictionem, licite eam exercere, uti Sanch Less. Ferd. de
Sanch. Fill. Villalob. Coninck. Henriq. apud & cum Fran-
co Bardi disc. 4. c. 17. n. 2. docent.

Deducitur 2. Doctorem non esse obligatum respondere
sua opinionem magis probabilem, sed satisfacere suo
iuramento, si juxta probabilem aliquam opinionem respondeat,
Sanch. Becan. Regin. Bonac. Jo. Sancius & alii apud & cum
Sanch. l. c. 20. n. 2. sentiunt.

Deducitur 3. Opinionem unius Doctoris, qui ob ratio-
nem probabilem faveat Matrimonio jam contracto, posse opi-
onem reliquorum Doctorum aliud opinantium præferri, uti
Sanch. l. 2. de matrim. d. 36. docet.

§. III.

PRINCIPIUM III.

In dubio melior est conditio possidentis.

Sensus.

Hoc est, quando neutra pars, quæ de aliqua re litigat,
vincere potest probabilibus argumentis, rem illam sibi de-
bet; aut certe probabilitas argumentorum utrobique est
æqualis, tum illi res adscribenda est, qui actu illam bona fide
possidet.

